DECRETUM

ROMANA seu KAUNEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI

GEORGII MATULAITIS seu MATULEWICZ

ARCHIEPISCOPI TIT. ADULITANI

REFORMATORIS CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM MARIANORUM

FUNDATORIS CONGR. SORORUM AB IMMACULATA CONCEPTIONE B. V. M.

ET

ANCILLARUM IESU IN EUCHARISTIA

(1871-1927)

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Apostolus Gentium, Tito « *germano filio secundum communem fidem* » scribens, huiusmodi aptis verbis verissimum pastoris exemplar delineat: « *Oportet enim episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum,*

sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit et exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere » (*Tit* 1, 7-9).

Nunc vero, nemo dubitet quin exemplar, tam claris verbis ab Apostolo Paulo nuper depictum, Servo Dei Matulaitis-Matulewicz adamussim conveniat, cum eius in dies augescens sanctitas, uti ex eius processus actis optime comprobatur, eo magis emicare videatur, quod is in ministerio apostolico obeundo maximam partem Episcopi et Visitatoris Apostolici munere est functus.

Famulus Dei Georgius Matulaitis seu Matulewicz in pago v. *Lūginė* intra fines olim dioecesis Seinen. (nunc Vilkavišken.) a piis honestisque parentibus Andrea Matulaitis et Ursula Matulis die 13 Aprilis a. 1871 natus, die 20 eiusdem mensis, eodem anno, baptismali acqua ablutus Georgius Boleslaus appellatus est.

Cum vix trium esset annorum, anno 1874 orbatus est patre et anno 1881 matre. Inde, sub fratre germano maiore natu, qua tutore, sat laboriose gymnasialibus studiis peractis, labores agrestes aggredi coactus est et, minus prosperae valetudinis causa, studia intermittere. Enituit tamen puerulus tali virtutis nobilitate, ingenii celeritate et maturitate, fervida pietate, ut ab inclinatione ad statum sacerdotalem deterreri non posset, quam potius in imo corde fovit.

Anno 1891 vigesimum aetatis annum agens, patruele adiuvante, in Seminario Kielcensi exceptus est; ibique ob peculiares illius temporis condiciones, cognomen « Matulewicz » assumpsit, humanitatis litteris vacavit et post duos annos in Seminario Varsaviensi ita pietate et sedulitate condiscipulos superavit, ut anno 1885 mitteretur ad Academiam Romanam Catholicam Ecclesiasticam Petropolitanam (Russia). Anno 1899 Sacrae Theologiae Magister « summa cum laude cum nota primus » renuntiatus est, cum iam anno superiore, seu die 20 Novembris a. 1898, sacerdotio auctus, proposuisset suam vitam Deo et Ecclesia fideliter et constanter dedere.

Postea disciplinas theologicas, episcopo consentiente, in Universitate Friburgensi Helvetiorum prosecutus, in Sacra Theologia Doctoris gradum est adeptus cunctis suffragiis cum laude. Deinde in Seminario Kielcensi ius canonicum et Latinam linguam perite et scienter docuit. Cum autem gravis morbus in peius mutatus esset, seu tabes ossea, qua inde ab infantia afficiebatur, quamque usque ad mor-

tem hilari animo et vultu toleravit, in nosocomio Varsaviensi valetudinem recuperavit ope christianae caritatis Sororum Ancillarum SS. Cordis Iesu, quibus gratum animum ostendit docendo religionem adolescentulas educandas. Perfecte sua munera explevit, pietatem et perfectionem spiritus excoluit, incitamento atque exemplo virtutis omnibus fuit.

Eodem fere tempore, sinceri Ecclesiae magisterii studiosissimus, quaestiones sociales et problemata eisdem connexa penitus exploravit, Litteras Encyclicas « Rerum Novarum » Leonis XIII prosecutus, qui contra pestiferas fabulas marxistas, tunc temporis imperantes, sanam Ecclesiae doctrinam declaravit. Huc spectant eius permulta opera, uti Hebdomadae Sociales, conferentiae ad opifices, pro quibus specialem ephemeridem cui nomen « Amicus Laboris » edidit ita ut tandem societatem conflaret, 50.000 fere operarios ad causam catholicam lucratus.

Denique uti peritus in quaestionibus sociologicis an. 1907 accitus ad Academiam Ecclesiasticam Catholicam Petropolitanam (Russia), docuit prius Sociologiam ac dein Theologiam dogmaticam. Eodem tempore, iam diu ad altiora vocatus, ut vitam religiosam in sua natione restauraret, etsi in condicionibus quam maxime adversis, ad Ordinem Clericorum Regularium Marianorum, iam ab Imperialibus moderatoribus Russicis suppressum et fere exstinctum respexit, illumque clandestine restaurare et reformare incepit. Debitis facultatibus ab Ordinaria et Apostolica Auctoritate obtentis, anno 1909 vota religiosa nuncupavit, novas Constitutiones conscripsit, recentioribus rerum condicionibus aptatas. Renovatio Congregationis et Constitutiones a Sancto Pio Papa X per Decretum die 28 Novembris anno 1910 datum approbatae sunt. Quare factum est ut confratres in eadem Academia Ecclesiastica formati, qui illius probe cognoverunt virtutes, vita functo superstite Moderatore Generali, anno 1911 Dei Famulum ad munus Superioris Generalis elegerent.

Officiis Academiae prudentissime dimissis, Dei Famulus novitiatus Domum aperuit Friburgi Helvetiorum, ubi plures sacerdotes Lituanos et Polonos ascrivit. Pro sacerdotibus Lituanis in America Septentrionali commorantibus novitiatum instituit Chicagiae an. 1913, pro novitiis in Polonia aliam Domum prope Varsaviam anno 1915,

anno 1918 in Lituania quoque domum novitiatus instauravit in urbe v. *Marijampolė.*

Bello tandem inter Germaniam et Russiam confecto, sacerdos Georgius Matulaitis-Matulewicz a Sede Apostolica die 23 Octobris anno 1918 episcopus Vilnensis designatus est. Consecratione episcopali Kaunae suscepta, Cathedralem Vilnensem ingressus est die 8 Decembris eiusdem anni.

Quanta heroica virtute ac supernaturali prudentia per septem annos dioecesim rexerit, facile comprehenditur, si prae oculis habeantur politicae vicissitudines in quibus civitas Vilnensis eo tempore versabatur. Aerumnosae difficultates omnis generis, seu ethnicae, civiles, militares, sociales, culturales eo tempore quam maxime ortae sunt. Externae res adversae et simultates, internae quoque repugnantiae deflexerunt. In ministerio apostolico eius caritas immensa omnes amplexata est; eius maxima prudentia congruens insigni eius episcopali « Vince malum in bono », atque ceterae virtutes tantum salis et aquae habuere, ut tota vita Servi Dei panis sapidus pro fidelibus et hostia Deo munda efficeretur. Pro omnibus fuit indefessus caritatis artifex et pater.

Anno 1925, Concordato inito inter Poloniam et Sedem Apostolicam, sedeque episcopali Vilnensi ad Metropolitanam Sedem evecta, Dei Famulus boni Ecclesiae vere studiosus magis quam suae sortis, prudenter suae sedi renuntiare statuit atque exonerari optavit.

Summus Pontifex Pius Papa XI, qui Nuntius Apostolicus in Polonia episcopum Georgium optime cognoverat et magni faciebat, hac renuntiatione rata habita, statim eum ad dignitatem archiepiscopalem evexit, Sede tit. Adulitana collata, et Visitatorem Apostolicum in Lituaniam misit. Suam missionem brevi tempore, ne duorum quidem annorum spatio, feliciter explevit, multas res magni ponderis ad exitum adduxit: institutionem Provinciae Ecclesiasticae Lituanae, ex quinque dioecesibus et una praelatura constantis, quas Sedes Apostolica an. 1926 creavit per Constitutionem « Lituanorum Gente », necnon reformationem Facultatis Theologicae in Studiorum Universitate publica, atque monasteriorum sororum, ac praesertim delineamenta Concordati inter Lituaniam et Sedem Apostolicam, ab eo conscripta quo meliores fierent necessitudinis rationes Lituaniae cum Sancta Sede.

Aestate anni 1926 petiit Americam Septentrionalem occasione

Congressus Internationalis Eucharistici, in quo orationem de unione christianorum habuit, circa 90 paroecias lituanas invisit, ubique Verbum Dei praedicando, Sacramenta ministrando et fideles a sua Patria separatos ad amorem Dei, Ecclesiae et Patriae incitando.

Demum vir Dei, dum Urbem petere cogitabat, gravi morbo correptus, Kaunae, sicut aurum in fornace probatus et purgatus, die 27 Ianuarii a. 1927, Sacramentis Infirmorum pientissime susceptis, animam Deo reddidit. Corpus eius an. 1934 ad ecclesiam Marianorum in *Marijampolė* translatum est.

Cum germana sanctitatis fama in vita et post mortem floruisset, Dei Famulus communi aestimatione dignus habitus est, qui ad altarium honores aliquando evehetur. Nihil, proinde, mirum si hac fama sanctitatis impellente, nonnullis quoque signis firmata, causa de Beatorum Caelitum honoribus Servo Dei tribuendis peragi coepta est. Eius etenim glorificatio a fidelibus utriusque Continentis seu Europae et Americae, quas in suo itinerante ministerio ipse peragraverat, nunc unanimo voto exoptatur, cum eius animosa et actuosa vita omnibus hominibus praeclarum videatur exemplum praebere.

Quibus omnibus rite perpensis, Processus Informativus apud Vicariatum Urbis institutus est (aa. 1953-1956), eodemque tempore Processus Rogatoriales apud Curias Bruklynien., Mechlinien.-Bruxellen., Buffalen., et Scrantonen. habiti.

Annis 1957-1959 vota faventia prodierunt super scriptis Servi Dei lingua Latina, Lituana et Polonica compositis. Die 9 mensis Februarii a. 1967 Summus Pontifex Paulus Papa VI introductionem causae decrevit et die 16 mensis Martii anno 1968 decretum de non cultu editum est.

Processus Apostolicus demum instructus Romae (aa. 1971-1972), Chicagiae (a. 1971) et Varsaviae (aa. 1970-1971). De omnium autem processuum iuridica validitate decretum die 7 Martii anno 1975 rite latum est.

Die 11 mensis Februarii anno 1977 Patronus suam protulit Informationem et Rev.mus Promotor Generalis Fidei suas opposuit Animadversiones (die 16 Octobris a. 1978), quibus ipse Patronus sollerter respondit, nonnulla afferens documenta, quibus quaedam quae prius quodammodo obscura esse videbantur, clariora facta sunt.

Hisce peractis quaestio super virtutibus Servi Dei disceptata est

et quidem primum die 27 Octobris anno 1981 in Congressu Peculiari Officialium Praelatorum Patrumque Consultorum, et deinde, die 9 Martii anno 1982 ponente seu relatore Em.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi, in Coetu Plenario Sacrae ipsius Congregationis pro Causis Sanctorum. Et omnes proposito dubio num Servus Dei Georgius Matulaitis-Matulewicz theologicas et cardinales eisque adnexas virtutes heroum in modum exercuisset, adfirmantes responderunt.

De praemissis omnibus certior factus, per infrascriptum Cardinalem Praefectum die 2 mensis Aprilis huius anni 1982, Summus Pontifex Ioannes Paulus II responsum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, mandavit ut Decretum super heroicis virtutibus Servi Dei rite appararetur.

Quod cum factum esset, Beatissimus Pater, accitis Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Mario Aloisio Ciappi, Causae relatore, sollemniter edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Servi Dei Georgii Matulaitis seu Matulewicz, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum rite promulgari et in acta S. Congregationis pro Causis Sanctorum inseri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Maii A. D. 1982.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivasten., *a Secretis*